



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

Titvlvs I. De Summa Trinitate, & fide Catholica.


urn:nbn:de:hbz:466:1-13903



DECISIONES CASVVM CONSCIENTIÆ

Ex doctrina Consiliorum Martini ab Azpilcueta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta Librorum Iuris Canonici dispositionem in suos titulos distributæ.

Auctore R. P. D. GREGORIO SAYRO Anglo, Ordinis D. Benedicti Congreg. Casinensis, aliàs S. Iustine de Padua Monacho, & Sacri Monasterij Casinensis professore.



LIBER PRIMVS.

TITVLVS I.

De Summa Trinitate, & fide Catholica.
SYMMARIVM.

- 1. Professionem fidei Canonici etiam exempti coram Episcopo & Capitulo intra duos menses a die possessionis adeptæ facere omittentes fructus amittunt.
- 2. Fidei professionem Regulares Pralati intra duos menses ab adeptæ possessione præfecturæ facere tenentur.
- 3. Fidei professionem clericus parochialem adeptus per ignorantiam omittens non peccat.
- 4. Fidei professionem beneficiarius curatus, qui intra duos menses non fecit, post illos quam primum potest, facere tenetur.
- 5. Fidem confiteri occultis Christianus inter infideles habitans tenetur, quando alias subtraheretur honor Dei, vel utilitas proximi cessaret.

DECISIO I.

Ex consil. 1. in antiquis, alias consil. 7. & 9. de iure iur. in nouis.

Canonici alicuius Ecclesiæ professionem fidei Catholicæ publicè coram Episcopo, & Capitulo, intra duos menses à die possessionis adeptæ facere omittentes, quamuis in foro interiori aliqua ex parte fortè ob ignorantiam, & inaduerentiã præcepti Concilij Tridentini sess. 24. c. 12. de reform. excusari possint, si tunc prædictum præceptum ignoret, ex S. Th. 1. 2. q. 76. ar. 1. & 2. in foro tamen exteriori nõ excusantur, nec fructus faciunt suos, licet postea pacificè etiam ultra tres annos, diotos Canoniciatus possideant, cum ignorantia iuris clari neminem excuset. Reg. ignorantia. de reg. iur. in 6.

Quam etiam fidei professionem modo prædicto facere tenentur Canonici exempti; Quia etiam exempti subiacet Episcopis quod eas, quæ pertinet ad beneficia, quæ obtinent, subiecta illis.

DECISIO II.

Ex consil. 2. alias consil. 10. de iure iurando.

Regulari Regulariter eadem fidei professionem intra duos menses ab adeptæ possessione sue præfecturæ, per extea-

tionem, qua Pius IV. capit. 12. de reform. Sess. 24. Concilij Tridentini extendit, facere tenentur, adestq. Bulla eiusdem Pij IV. super forma iuramenti professionis fidei, quæ incip. Iniunctum nobis. edita anno 1564. & est 114. in ordine.

DECISIO III.

Ex consil. 3. alias consil. 12. de iure iurando.

- 3. **C**lericus adeptus parochialem, si per ignorantiam, & inaduerentiã fidei professionem non facit vsq. ad sesquianum, & tunc ratione Doctoratus suscepti eam facit, & etiam post septimum mensem vna cum Episcopo ratione Synodi, mortaliter peccare non videtur, cum bona fide legem humanam transgrediens mortale peccatũ non committat, ex S. Th. 1. 2. q. 88. ar. 5. & 6. & Nauar. in Man. c. 23. num. 43.

DECISIO IV.

Ex consilio 4. alias consil. 11. de iure iurando.

- 4. **A**deptus beneficium curatum, & infra duos menses a die adeptæ possessionis fidei professionem non faciens, licet ad eam faciendam, quam citò commodè facere poterit, obligatur; professio tamen post prædictos duos menses facta ad fructus temporis præteriti acquirendos illi non prodest, quamuis sic ad quærendos temporis futuri; quia regulariter semel ipso iure perditã ipso iure non quærentur c. Quam periculosum. 7. q. 2.

DECISIO V.

* Prima & vnica in Nouis, alias consil. 3. dub. 11. de claudesina dispensatione, in antiquis.

- 5. **C**um præceptum de confitendo fidem affirmatiuum sit, vt ait S. Th. 1. 2. q. 3. art. 2. corp. & ideo obliget semper, non tamen ad semper, sicut obligat negatiua, vt idem S. Th. vbi supra & q. 33. art. 2. inde fit, vt fidelis inter infideles habitans non teneatur semper & quolibet loco, aut ex quacunque causã publicè fidem suam confiteri: sed tunc solum quando, per omissionem confessionis fidei, aut honor Deo debitus, aut utilitas proximo impendenda, sub-

A trahe-

traheretur: scilicet, quia per taciturnitatem eius, aliqui a fide auerterentur, aut crederent fidem Catholicam non esse veram. Siquidem in his casibus fidem confitenti tenetur, nec ob timorē excusatur, ut ait S. Tho. 2. 2. q. 3. ar. 2.

TITVLVS II. De Constitutionibus.

S V M M A R I V M.

- 1 Ignorantia crassa seu affectata a peccato non excusatur iusta vero seu probabilis excusatur.
- 2 Promulgatio est de legis essentia, etiamsi sit facta in Concilio Generali, etiam cum Papa confirmatione, nec antea ligat.
- 3 Ignorantia presumitur iustas rationes probatur scientia, & vna probatur.
- 4 Scientia legis quam ad ligandum sufficit.
- 5 Lex ante tempus a Legislatore prescriptum non ligat.
- 6 Lex Principis inferioris a die scientiæ subditos ligat.
- 7 Lex noua solo iure scripto attendit, ante duos menses elapsos non ligat, secus de fidei, & consuetudine.
- 8 Lex ante quam recipiatur saltem per maiorem partem ciuicis non ligat.
- 9 Lex non recepta seu ab ignorantibus, seu iam scientibus, non ligat.
- 10 Lex non recepta aut noua non obligat.
- 11 Concilij Tridentini decreta mores ad spectantia, vbi recepta non sunt, non obligant.
- 12 Bulla Romæ publicata a eorum ligant, qui fecerit eas publicatas.
- 13 Confessorius pariterem Bulla Papæ signarum monere non tenetur.
- 14 Doctor legens non tenetur docere legem, quæ Provincialis suos non ligat.
- 15 Confessorius contra suam opinionem absolueret potest, quem auctoritate, vel ratione contraria non videt.
- 16 Beneficia plura, etiam residentiam requirentia, ex causa iusta haberi possunt sine peccato.
- 17 Beneficia plura tenere ex sua natura non est ita malum, quin ex causa iustificari possit.
- 18 Episcopi ex consuetudine hæreticos, & schismaticos reconciliare possunt.
- 19 Residentia in beneficio curato de iure diuino est, & ideo vbi que seruanda.
- 20 Ordinem sacrum sine titulo sumens est suspensus, & episcopus talem scienter ordinans alere tenetur.
- 21 Filius presbyteri in ecclesia, vbi pater beneficiarius est, nullo modo, etiam tanquam advena ministrare potest.
- 22 Filius presbyteri non potest habere beneficium in ecclesia in qua pater, quod si habuit, ipso iure non vacat ante Conc. Trid., nisi post trimestre.
- 23 Taciturnitas eius, quod iura exprimeret iubent gratiam vitiat.
- 24 Confessor non interroget de beneficiorum pluralitate eos, qui putant ea se iuste retinere.
- 25 Bullas Papæ supprimentes, & illas publicari prohibentes excommunicati sunt, & nisi resipiscant non sunt absoluenti.
- 26 Gabellam exigentes a clericis, & religiosis excommunicati sunt, nisi &c.
- 27 Gabella, si per Christianum exigantur, infidelibus locari possunt.
- 28 Catholici cum hæreticis, & schismaticis denunciatis commercia exercere prohibentur.
- 29 Hæretici, & schismatici in Bulla cæna excommunicantur.
- 30 Matrimonium cum hæreticis contrahere Catholicis non licet, sed contractum tenet.
- 31 Schismaticorum filij ad scholas Catholicorum admitti possunt, sed non e contrario.
- 32 Hæreticorum non denunciatorum oblationes recipere licet.
- 33 Catholici hæreticos non denunciatos in patris admittentes peccant mortaliter, & sic admissi cognationem spirituale contrahunt.
- 34 Absoluti nequeunt hæretici etiam in mortis articulo, nisi omnes errores desintur, saltem implicite.
- 35 Empiricum pacto de retrouendendo facta, peccatum est, & vitiosum.
- 36 Iura tutoribus in pupillarum pecunijs accrescendis commiss-

- 37 Libros prohibitos scienter legentes, etiam studio eorum errores noscendi, excommunicati sunt.
- 38 Episcopus hodie licentiam Missandi apud infirmos dare non potest.
- 39 Pests tempore curati vel per se ipsos, vel per alios insectis sacramenta ministrare tenentur.
- 40 Eucharistia delatio, & processio publica omitti possunt, vbi ab hæreticis debonestatio timetur.
- 41 Possessorium super Decimis coram iudice laico intentari potest.
- 42 Ecclesia in suos colonos eodem iure, quo laici, vti licet.
- 43 Clericus iurisdictionem suam criminalem per vicarios exercens, licet sequatur mors, vel mutilatio etiam iniusta non sit irregularis, secus si per seipsum eam exercet.
- 44 Hæretico, minus quam Iudæo, officium cum præclementia commendandum.
- 45 Hæreticus in foro exteriori a solo Papa absoluitur, in interiori a Episcopo.
- 46 Constitutio noua non extenditur ad præterita nisi cum agitur de effectu futuro, qui sine effectu præterito stare potest.
- 47 Lex in consuetudinario, ut omnis aliam odium aliquid lata, odiosa, & restringenda est.
- 48 Pensiones in conscientiam transferentes, penam conscientiarum non incurrunt.
- 49 Lex Principis secularis de non exitu adentes equi in foro conscientie non obligat.
- 50 Statutum, ut tot tantum de una natione eligantur, iustum, & rationabile esse potest.
- 51 Papa quando, ut Papa, & quando, ut Doctor tantum respondere censetur.
- 52 Lex puniens procuratorem fauorem non includit impetrem ad litteras, si eis non utatur.
- 53 Statutum ciuitatis ligat omnes illius ciues, hoc est, habentes in ea domicilium, at inibi natos, alij habentes domicilium, non ligat.
- 54 Statuta Papalia sunt, quæ Capitulum Generale auctoritate Apostolica condidit, unde nec ipsum, nec illud representans potest ea tollere; sed si quid iniuste statuat, ad Papam cui immediate subijctus, recurrendum est.

DECISIO I.

Ex Consl. r. tam in nouis quam in antiquis.

Sicut ignorantia crassa, quæ quis ignorat id, quod homines sui status, & conditionis communiter sciunt, esse excusatur a tanto, non tamen a toto; aut affectata, quæ quis scire nolit quod scire tenetur, quo libetius absque conscientie contradictione, vel alia de causa peccet, neque a toto excusatur, neque peccatum ipsum minuit, sed illud potius ob circumstantiam mali desiderij auget, ita S. Tho. 1. 2. qu. 76. art. 8. & Nau. in Man. c. 2. nu. 4. ita e contrario ignorantia iusta, quæ a Canonistis probabilis, a Theologis vero in uincibilis dicitur, quæ quis ignorat, quod vel scire non tenetur, vel non potest, adhibita diligentia, quæ ab alijs sui ordinis solet adhiberi. Ex eodem Sanct. Thom. vbi supra ar. 3. & qualis est eius, qui petit consilium a viris doctis, & probis, qui falso illi consulunt Arg. c. capellanus de ferijs, & S. Ant. 1. part. tit. 3. c. 3. §. 10. omnino a peccato excusatur, quando est causa actus, ita ut actus ille non fieret, nisi ignoraretur. ita S. Thom. 1. 2. qu. 6. art. 8. & q. 76. art. 1.

DECISIO II.

Dub. 1.

Ad legem sub peccato transgrediendam non sufficit scire legem aliquam esse faciendam, aut factam, etiam in Concilio publico, si non dum sit promulgata; cum lex antequam promulgetur, non liget, & leges, dist. 4. si quidem de legis essentia est promulgatio ex S. Tho. 1. 2. qu. 90. artic. 4. sed neque satis est quod sit promulgata, si promulgatio eius probabiliter ignoretur; neque constitutio Concilij Generalis etiam promulgata ante specialem Papæ confirmationem subiectam ligat.

DE.